



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XXV. Dilecto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

aut provisione, etiam ad sæcularem dignitatem, vel administrationem, si ab aliquo facta sit, ex necessitate, sive officij obligatione, quia eam vacantem alicui conferre debuerat, quòd revocare non possit electionem, aut collationem factam absenti, quia officio suo functus censetur, sicuti docet *Bart. in L. absenti n. 2. ff. de donat. Covar. lib. 3. resolutionum c. 16. n. 1. Sanchez. lib. 3. de matrimonio. di. sp. 36. n. 4.*

Secundò conferri potest beneficium, intermedià personà, quæ loco ejus acceptet. Hoc casu distinguendum: vel enim persona v. g. amicus, aut consanguineus, tanquam utilis negotij gestor, acceptat sine mandato, hoc casu jus in beneficio non acquiritur absenti, priusquam is, re intellecta, ratum habeat, quod suo nomine gestum est juxta *L. si ego 24. juncta Gl. ff. de negotijs gestis. & tradit Gl. in c. quam sit 6. v. petere de electione in 6. Francus in cit. a. si tibi absenti. n. 3. cum Gloss. ibidem v. habueris: vel persona nomine absentis collationem acceptans, mandatum habet, & quidem speciale ad beneficium acceptandum in specie, aut in genere, & tunc verisimur in casu hujus Capituli, dicendumque, absenti per talem collationem, aut investituram acquiri jus, & quasi dominium in beneficio. Et hoc est primum notandum hujus Capituli, cui addi debet, quòd etiam acquiritur possessio absenti, si investitura non tantum verbalis sit, sed realis, per quam actualis possessio transfertur, nam quòd absenti per procuratorem possessio acquiri possit, constat ex *L. n. §. per procuratorem. ff. de acquirenda possessione & L. i. c. eodem.**

Notandum secundò. Si beneficium absenti Titio in persona procuratoris conferendum sit, duæ possunt esse verborum formæ. Primò, ut dicatur: Confero Titio beneficium per te: Secundò, Confero tibi beneficium loco Titij. Et iste modus posterior magis commendatur, in textu hujus Capituli, & *Bart. in L. qua mihi n. 7. ff. de donationibus*, ubi etiam rectè admonet,

quòd procurator in hoc casu habeat se veluti nuncius, ac nudum ministerium exhibens, juxta *L. quod meo 13. versu procurator. juncta Gl. v. prestat ff. de acquirenda possessione*. Sin autem verba contractus, aut provisionis in procuratorem ipsum dirigantur, tunc ipsi actionem acquiri, quæ non nisi cella in principalem transferri possit, civilia jura significant, prout tradunt *DD. in cit. L. possessio & docui lib. 3. tract. 4. c. 26. n. 14.* Cum autem tali cessione jurium, & actionum, locus non sit in Ecclesiasticis collationibus, & investituris, multoque minùs in matrimonio carnali, aut spiritali, idèd, si talia per procuratorem fiant, congruum est, ut verba non absolute in procuratorem dirigantur, *accipio te in meum*, sed in procuratorem, tanquam, qui alterius locum teneat, aut in ipsum principalem, quatenus in procuratore representatur, nam qui per alium facit, perinde est, ac si faceret per se ipsum, *Reg. 72. in 6.*

Corollarium. Nihil prohibet, quin procurator, qui nomine Clerici in beneficio investitur, sit Laicus, *argum. c. 1. de procuratoribus in 6.* Propterea, quòd jus spirituale ipsi acquiri non debeat, sed per eum, veluti canalem, seu præbentem ministerium, transire in principalem Ita notavit *Joan. And. hic. n. 2. Abb. n. 6.* qui tamen ajunt, tutius esse, & ita consuetum, ut Clericus constituitur.

CAPITULUM XXV.

Dilecto.

PARAPHRASIS.

Cum Archiepiscopus Rhemenfis, Apostolicæ Sedis Legatus, G. nepoti suo beneficium providere desideraret, Cellarius Trecensis Canonicus sui præbendam in legatii manibus resignavit, tunc is G. nepotem, & Cellarium Canonicos Trecenses instituit, utrique dans stallum in Choro, & locum in Capitulo, atque dictæ præben-

M 2.

dæ

da fructus inter utrumque dividendos assignavit, donec G. integram assequeretur præbendam; insuper etiam procurator Generalis Episcopi Trecentis, eo tempore, Constantinopoli versantis, receptionem illam Cellarij in Canonicum approbavit, & Cellarius postea Lectionem, & Evangelium in hebdomade sua legit; tam Decani, quàm Episcopi Successoris electioni, aliisque Capituli tractatibus, tanquam Canonicus interfuit; domum quoque Canonicalem à Capitulo obtinuit. Denique ab Episcopo electo post ejus consecrationem, ad osculum unà cum Canonicis alijs admittus fuit, nulla ipsi super Canonicatu, ab eodem Episcopo per biennium mota quaestione. Hac ex parte Cellarij coram Auditore Papæ allata fuerunt, sed ex adverso Procurator dicti Episcopi Trecentis coram auditore proposuit, quòd ad unicum jus spirituale, eo tempore vacans, in Ecclesia Trecenti, duos Canonicos Legatus instituire non potuerit, nam ut duo unam præbendam obtineant, id Turonensi Concilio repugnante, præbendarum sectionem inhibenti; sin autem duobus receptis in Canonicum uni tantùm præbenda assignetur, altero manente sub expectatione, tunc contradicere Concilium Lateranense. Deinde licet in Ecclesia, in qua certus Canonicorum numerus definitus non est, nullà etiam vacante præbendâ, Canonicus institui possit, cum censeatur ad jus quoddam eligi, quòd ex electorum consensu de novo creatur, & ipso defuncto designat, attamen in Ecclesia, quæ determinatum præbendarum numerum habet, uno Canonicatu, tanquam individuo jure vacante, duo simul eligi non possunt, propterea, quòd tale jus spirituale dividi, seu pluribus communicari non possit. Accidit quidem interdum, ut ij, ad quos electio spectat, communi consensu augeant numerum præbendarum, jus quoddam spirituale de novo creantes,

quod ipsi quidem facere possunt, si statutum non obstat, quod juramento ab ipsis firmatum sit, vel quod à Sede Apostolica probatum, cum clausula irritante, si secus factum fuerit; cum itaque in Trecenti Ecclesia præbendarum numerus determinatus sit, atque Capitulum, vel Legatus voluntatem non habuerit, eum numerum augere, aut jus aliquod de novo creare, hinc intulit dictus procurator, Cellarij receptionem irritam esse. Hanc verò partem controversiæ approbat Innocent. III. & idcirco Cellarium ad restitutionem eorum, quæ ratione ejus institutionis tenebat, sententialiter condemnat, ipsi super præbenda, vel portione ejus silentium imponens, ita tamen, ut per hoc supra dicto G. præjudicium nullum gereretur, cum res inter alios acta, alijs regulariter non obstat.

SUMMARIUM.

1. Ex actibus, qui activè, vel passivè solis Canonicis competunt, rectè quidem ostenditur possessio beneficij Canonialis, non tamen quasi dominium, seu Jus in eo.
2. Unum beneficium non potest conferri duobus, nisi collatores mentem habeant, duo distincta beneficia creandi.
3. Si in Ecclesia non sit numerus Canonicorum determinatus, tunc mortuus Canonicus non vacat Canonicatus illius, sed cessat, & extinguitur.
4. Possunt tamen ex consensu communi Canonici augere præbendarum numerum, non obstante statuto, aut privilegio de certo numero per Papam confirmato.
5. Nisi confirmatum sit, adjectâ clausula irritante.

NOTandum primum. Ex actibus, qui activè, vel passivè solis Canonicis competunt, rectè ostenditur possessio beneficij Canonialis, sed non quasi dominium, seu Jus

jus in eo, cum beneficium Ecclesiasticum non possit licite absque Canonica institutione obtineri. *Reg. 1. in 6.* Si tamen Clericus in pacifica & quieta possessione beneficii aliquamdiu permanserit, & ab Ordinario toleratus sit, habet juris præsumptionem pro se, ut proinde contra ipsum quoque Episcopum, impedire seu perturbare volentem, agere possit, interdicto retinenda possessionis, neque in tali casu Episcopus eum, quem diu toleravit, cogere potest ad ostendendum beneficii sui titulum, teste *Abb. hic. n. 8.* Quod limita, nisi de novo emergat conjectura, seu præsumptio vitiosæ institutionis. Hoc casu ad titulum ostendendum Beneficiarii (si necdum cum bona fide præscriperat) cogi potest, non obstante, quod Episcopus eum antea tolerarit, cum vitiosè institutum, aut inratum Episcopus, nec expresso quidem consensu, habilitare possit, multò minùs tacito, prout hic notat *Gloss. Marginalis & Imola. n. 6.*

2. Notandum secundò, Unum beneficium non potest duobus conferri, sed irrita censetur talis collatio. *c. tua 20. hoc. tit.* Excipe. Nisi collatores animum habeant, pro uno beneficio vacante, duo distincta beneficia creandi, prout in *tit. c. tua dixi*, & expressè habetur in *o sequente.*

3. Notandum tertio. Si in Ecclesia aliqua numerus Canonicoꝝ determinatus non sit, sed plures, vel pauciores institui soleant, arbitrato Episcopi, vel Capituli, tunc mortuo Canonico, non vacat ejus Canonicatus, sed cessat, seu extinguitur. *c. ex parte 10. de concessione præbende, & docui lib. 4. tract. 2. c. 16. n. 5.* Quod si novus Canonicus instituat, novum jus creatur, ipsique conferretur, prout hic dicitur; & idem similiter dicendum, si Canonicus super numerum definitum instituat, ut sit supernumerarius, adeoque beneficium ejus non sit stabile, ac perpetuum, sed ad tempus vitæ ejus.

4. Notandum quarto. Canonici possunt ex consensu communi augere numerum

præbendarum, non obstante privilegio, aut statuto per Papam confirmato de certo numero instituendo, sicuti ex hoc textu colligitur, & ex *c. cum accessissent 8. & sequenti de constitutionibus, & tradit Gl. hic V. hujusmodi.* Ratio est, quia censetur tale privilegium concessum in favorem Capituli, quique autem favori, ac gratiæ sibi concessa, renunciare potest. *c. accedentibus 15. de privilegijs, L. si quis 29. C. de patris.*

Excipe primò. Nisi statutum à Canonicis juratum sit: valida tamen est hoc casu receptio Canonici ultra numerum, quia actus gestus contra juramentum valet, licet operans fiat perjurus, prout hic tradit *Joan. And. n. 7. Bart. in L. omnes populi n. 32. ff. de justitia & jure, & docui lib. 4. tract. 3. c. 8. n. 5.* Quin & licita erit receptio, si ratio, ac veluti formale objectum juramenti mutatum sit, aut cessarit, quia videlicet redditus Capitulares notabiliter aucti sunt, prout hic notavit *Abb. & fuis tradit in cit. c. cum M.*

Excipe secundò. Nisi statutum à Papa confirmatum sit, adjecta clausula irritante. Cujus rei rationem dat *Abb. hic. n. 18. Garzias n. 12. c. 1. n. 10.* Quia confirmatio censetur emanasse in favorem Ecclesiæ, non possunt autem Capitulares favori Ecclesiæ renunciare, aut ejus commoda rollere, prout latius dixi in *cit. c.* propterea, quod juri publico, & commodis universitatis renunciari non possit, *argum. c. si diligenti. 12. de foro competenti juncta Gl.*

Aliam rationem, & ut arbitror, meliorem, dat *Suarez. lib. 6. de leg. c. 26. n. 22.* Quia Princeps adijciendo talem clausulam, statutum, quod confirmat, suum facere vult, ut proinde ab inferioribus statuentibus tolli non possit, nisi ratio, ac veluti formale objectum statuti cessaverit, uti supra dixi, & tradit *Gl. in c. ult. V. exercuisse de verborum significatione*, quod in privilegio, aut statuto numeri confirmato, semper intelligatur, nisi notabiliter excrecant facultates &c. Sin autem talis ad se revo-

eandi, seu suum faciendi statutum, voluntas à Principe non exprimitur, tunc regulariter loquendo Principis confirmatio non censetur mutare statutum, illudve avocare à proprijs statutibus, dummodo hi legis condendæ potestatem habeant; consequenter hi statutum, tamen ob publicum favorem factum videatur, eodem modo unâ cum Episcopo revocare poterunt, sicuti alia sua statuta, prout *Suarez* tradit *loco cit.* & consentit *Bart. incit. L. omnes populi. n. 33.* Juxta quam doctrinam Regula tradenda est, quod statutum à Principe confirmatum tolli possit à proprijs statutibus, nisi Princeps expressè prohibuerit, vel aliquid adjecerit, quo significetur, quod statutum suum fecerit, & mutandi potestatem inferioribus aemerit.

Notandum quintò. Si ex pluribus correis, quorum eadem causa est, unus condemnatus sit, non debet id alteri obesse ad condemnationem. Ita etiam docui *in c. penult. de appellat. not. 2.* addita exceptione, si res, circa quam sententia lata est, indivisibilis existat, v. g. communis servitus, tunc prodest, aut obest etiam alijs communem causam habentibus, prout etiam tradit *Gl. hic communiter recepta V. non obstat.* Vide, quæ docui *in C. penult. de re judicata.*

CAPITULUM XXVI.

Vacante.

PARAPHRASIS.

Cùm præbenda Canonicalis vacaret, Episcopus cum Capituli consensu duos Canonicos constituit, eorum altero mortuo, præbenda ejus per Apostolicæ Sedis auctoritatem collata est Hyppolito; is super præbenda sua integranda litteras Apostolicas contra Episcopum postea impetravit, sed & alter præbendatus simili jure adversus Episcopum se niti perhibuit. Circa hunc casum, respondet Innocent. III. cùm Turonense Concilium præben-

darum sectionem prohibuerit, Episcopum obligatum esse, ex beneficijs, quæ vacaverint, integrare præbendas, præterquam, si ob causam rationabilem, ex vacante præbenda, duæ præbendæ constitutæ fuerint, atque utriusque præbendæ tot reditus sint, ut utriusque de competente beneficio provisum esse censetur.

SUMMARIUM.

1. Potest Episcopus, cum consensu Capituli, exigente rationabili causa, beneficium, dum vacat, dividere, si reditus sufficiant pro duabus præbendis, alias præbendatis ad reintegrandas suas præbendas habent actionem.
2. Quæ sectio beneficiorum in Concilio Turonensi prohibetur.
3. Quibus in casibus propter redituum augmentum præbenda multiplicari, vel augeri possint.

Notandum. Episcopus cum consensu Capituli exigente rationabili causa beneficium, eum vacat, dividere potest, ita ut ex uno duo fiant, sicuti explicavi *in c. majoribus s. hoc. tit.* At necessarium est, ut reditus sufficiant pro duabus præbendis, alioquin male faciet Episcopus, divisionem instituendo, atque provisum actionem habebunt adversus illum, ad integrandas præbendas, sicuti hic indicatur; supplementio autem, seu integratio fieri tunc poterit ex beneficijs adundantibus, si vacaverint, ita ut portio aliqua redituum ijs dematur, & tenuioribus adijciatur, prout explicavi *in cit. c.* Sin autem nec ex beneficio vacante, nec alio simili modo succurrere possit Episcopus, tenebitur ex sua mensa reditibus interim providere, si uti dixi, male dividendo in culpa fuit, teste *Joan. And. hic. n. 2. Imola & Abb. n. 3.* ubi admonent, non esse necessarium, ut præbendæ noviter creatæ, sint æquales antiquis, sed satis esse, si & illæ sufficientes sint. *argum. c. ult. de consuetudine in 6.*

Corolla-